

tissimis scriptoribus, jejuni hominis salivam lethalem esse serpenti. Dionys. Uticensis, Varro major, lib. 13. de Agricul. cap. 8. Democritus tradit, serpentem mori, si quis jejunus in os ipsius inspuat. Idem vult Lucretius lib. 4. de Natura rerum: & Plinius lib. 28. cap. 4. *Hominum vero in primis jejunam salivam contra Serpentes praesidio esse docuimus.* Et lib. 7. cap. 2. *Ferunt ictos saliva serpentes, ut ferventis aquae contactum fugere: quod si in fauces penetraverit, etiam mori, idque maxime humani jejuni oris.* Addo S. Ambrosii suffragium lib. 6. Hexaem. cap. *Jejuni hominis sputum si Serpens gustaverit, moritur.* Rationem reddere studet Abulensis Genes. 13. quaest. 735.

Jejuna Virginitas salivam adversus serpentis gulum.

Deipara abstinentia opposita primae gulae.
S. Bonav.

Interdictio pomae vesci Deipara refugit, quia Eucharistica epulo reficiebatur.

Cant. 2. 2.

765 Sed vero equaniam, obsecro, in universo humano genere inveniri poterit saliva proflua jejuna, atque ab illa primaria gula undequaque immunis, quae in flygii serpentis fauces disputa immanem belluam dirumpat? Una proflua illa est, post Filium, Virginis Matris saliva, quae cum sola interdicto abstinerit pomo, una profecto impransia cum Tartareo Dracone strenue confligit, eoque validissimo jejuni certissimam necem gulosissimi invexit popinoni, immanem Hydram frangulavit; ut Ambrosius, & Maximus proximè relati aiebant. Quibus adde S. Bonaventuram, qui in Speculo B. Mariae cap. 15. late docet, Virginem suam abstinentiam, primae gulae oppositam, immunitatem à prima maledictione promeruisse: *Sicut in Paradiso materiali, gula Eva meruit maledictiones panarum; sic in Paradiso spirituali, Temperantia Mariae meruit benedictiones gratiarum.* Unde Augustinus Ser. 18. de Sanctis ait: *Maledictio Eva in benedictionem vertitur Mariae.* En tibi qua ratione abstinerit Deipara ab interdicto cibo, & omnino fuerit originariae gulae experta.

766 Et quid mirum, si ad vitae arborem advolavit, ad Christiferum nempe Eucharisticae cibum, quo spiritualiter fruebatur, ejusque redemptia praeservatione? Haec est altera instituti nostri pars. Etenim ideò Adamus, & Eva in contrarium inciderunt, in vitam scilicet arborem; quia Eucharisticae cibum, vitae arborem, neglexerunt, ut aiebat supra S. Chrysostomus. Longè aliter Deipara, quae interdicto pomae vesci refugit, quia Eucharistico epulo reficiebatur. Commendaverat sponsus suae Matris immunitatem illis verbis, *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias: eo modo quem supra fuse explicavimus à n. 564.* Reponit continenter Mater ipsa suum commendans sponsum; imò verò ostendens unde sibi immunitas illa advenerit: *Sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios. Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo.* Quasi dicat: Meae immunitatis felicitas à sponso & Filio meo promanavit tota: ipse quippe est arbor vitae; reliqui verò homines sylvestria ligna sunt infructifera, mera ligna sunt. Ipse mihi ex tota Adami posteritate consolationi summam, summoque emolumento fuit: qua propter ad eum avolavi, semper sub tantae, tamque vitalis arboris umbra sedi, sub illius nempe protectione; ibi, vel à puncto mei conceptus, quiescens Eucharistico refecta sum cibo, arboris vitae fructu. Sic ferè interpretatur Rupertus lib. 1. in Cantica circa finem; ubi postquam ligna sylvarum stant esse Adami posteritatem peccato originali de-

formem; Christum verò bonam arborem, lignum nempe vitae; in hunc modum loquentem facit Deiparam: *Hoc ego experia sum. Quomodo? sub umbra illius, quem desideraveram, sedi. Non steti ad horam sub umbra; sed continuo sedi, quia semper pacem habui, jugiter sub umbra illius quievi. Et fructus ejus dulcis gutturi meo; id est, cordi meo. Malus fructus, imò malus morsus, quo Adam per Evam vitam perdidit, & mortem invenit: bonus fructus, quo genus humanum per Mariam mortem perdidit, & vitam invenit. Hic est fructus ejus. Ad quid enim venit, ad quid succrevit inter ligna sylvarum, nisi ut faceret hujusmodi fructum, quo evacuaret primae praevagationis reatum, ligni vetiti morsum. Ubi tempus venit hujusmodi fructus edendi, accipiens panem, & vinum, & benedicens: Accipite, inquit, & comedite, hoc est corpus meum: accipite & bibite, hic est sanguis meus.* Quid ad rem nostram luculentius? Perpetuò igitur sedisse & jugiter requievisse sub vitalis arboris umbra B. Virgo dicitur: quia semper pacem cum Deo habuit: Eucharistico fructu abundè ibi refecta, cujus delicias dulciter praegustavit, ut sic à vetito cibo abstineret, & gulosissimi Draconis caput contereret praemunita tanti epuli virtute praeservativa. Ecce quo pacto honoratiorem locum habuerit B. Virgo uti Primogenita Dei, & lautius fuerit accepta in mensa Eucharistica.

§. II.

Maria tanquam Primogenita Dei ceteris fratribus alimenta praestat.

767 TENERI primogenitam sobolem fratribus alimenta praestare, initio hujus capituli statuiimus numero 676. Cum autem Deipara sit Primogenita Dei ante omnem creaturam, & soror nostra sit, nosque ejus fratres, tenetur quidem hominum generi ministrare alimenta, quibus ad sanctitatem educamur. Ita omnino res habet. Hoc ut appareat, observandum est, opulentissimam Dei hereditatem in Mariam, uti in ejus Primogenitam, devolutam, esse alium Eucharisticae Sacramentum, omnium horum breviarium: ideò bonum Dei appellatur. Zachar. 9. 17. Ose. 3. 5. & alibi saepe. Et bona terrae non semel; Jerem. 31. 12. sed Isa. 58. 14. *hereditas vocatur: Tunc delectaberis super Dominum: & sustollam te super altitudines terrae: & cibus habo te hereditate Jacob Patris tui.* Ubi S. Cyrillus hereditatis nomine qua cibandum est populus Christianus, Eucharisticae Sacramentum intelligit. Quod Jacobi hereditas appellatur, quia Jacobo promissum est Genes. 27. 28. dum tanquam Primogenitus benedictione à Patre donatur: *Det tibi Deus de rore cali, & de pinguedine terrae, abundantiam frumenti, & vini.* Ut enim sapienter Paschasius Abbas Corbeiensis lib. de Corpore, & Sanguine Christi cap. 21. loquens de Eucharistia: *In quo mysterio benedixit Isaac Jacobum filium suum, quasi nulla alia esset benedictio, quam frumenti & vini; scilicet in pane corporis Christi, & in potu sanguinis, qua de agro corporis nobis quotidie per officium sacerdotis maturefcunt, & comedimus.* Hujus Jacobae hereditatis successor ac possessor extitit B. Virgo, utpote nobilissima

Jacobae hereditatis, id Isaac

est, Eucharistia, successor Deipara.

Haec Maria Eucharistica hereditas ab Abrahamo praevisa.

S. Athan. Antioche.

Eccl. 24. 28.

S. Amb.

Maria nos alit & cibatur Eucharistica sua hereditate.

Luc. 2. 7.

Quorsum Deipara infantem Jesum reclinavit inter praesepii paleas.

S. Gregor.

Psal. 2. 12.

Isaac & Jacobi Filia, quam Isaac ipse tunc praeviderat, dicens: *Det tibi Deus benedictionem cali desuper, & terra habentis omnia.* Sic esserunt LXX. Interpretes. Et S. Dionys. Alexan. in epist. contra Paulum Samosatensem, *terram habentem omnia*, explicat Virginalem Mariae Paradisum, cujus veluti distillatae haereditatis successore reliquisse voluit Isaacus Jacobum Filium; ut ab ea terra benedicta haberet abundantiam frumenti, & vini in hereditate, ad Virginem ipsam devolvendam.

768 Et quidem hanc opulentissimam frumentari hereditatem ab Abrahamo Mariae Progenitore fuisse praeviam, & ab eo quodammodo in pronepium suam descendit, suadent quae scribit S. Athanasius Anuociensis in lib. 11. Anagogicarum Contemplationum in Hexaemeron. *Dicunt Historici, quod primus Abraham frumenti semen per ararum seminavit in terra; nobis, ut opinor, significans Patriarcha per exemplum, quod ex ejus semine videbitur caelestis panis Christus in terra, ad esum, & saluum hominum, quando terra Abrahamica Mariae Deiparae pluviam excipiet caelestem.* Ut vides, primus agriculturae auctor Abrahamus fuit: atque hanc porrò artem hoc maxime consilio invenit, ut Mariam pronepium suam proluderet; terram utique benedictam, quae caelesti pluvia perfusa, non humano violata semine, divinum nobis panem, & tritici abundantiam esset productura. Haec verò triticea ubertas & quasi Abrahami progenitoris sui hereditas, ab Abrahamo ipso Christi etiam progenitore in Mariam fuit devoluta; ut appareat, unicam Deiparae hereditatem esse Eucharisticum panem, & frumentum, debitum Virgini quasi hereditario jure, uti Primogenitae Dei, & Christi Parenti. Hoc illud est, quod Deipara ipsa de se praedicat infra versu hujus capituli 28. *Hereditas mea super mel, & favum.* Eucharistiam appellat melito favo dulciorem, quae Virginis hereditas est. Ut enim S. Ambrosius in Ps. 21. fine; *Maria veluti caelitus veniens, cum cunctis ecclesiarum populis cibum dulciorem melle deflavit.*

769 Igitur B. Virgo, utpote Dei Primogenita, & illius hereditatis successor & possessor, ad eroganda nobis, qui minores ejus fratres sumus, alimenta compellitur. Erogat certè abundè, nos alit & cibatur Eucharistica sua hereditate; Carne & Sanguine Christi, cujus ipsa Mater est, & haeres. Vix Primogenitum & unigenitum suum pepererat Deipara, cum pannis eum involvit, & reclinavit eum in praesepio. Luc. 2. 7. Quorsum haec tam festinata reclinatio, o puerpera Virgo, inter praesepii paleas? Nonne fatius esset dilectissimum infantem in sinu tuo fovere, in gremio tuo, inter brachia tua? Rem quasi acu attingit Theodotus Ancyranus Episcopus Orat. de Navit. tomo 1. Concilii Ephesini: *In praesepio positus est, ut in hac mensa comedatur: praesepi clarum hanc mensam designavit, Bethleemiti autem diversorii utilitas clara templa praedixit.* Et S. Gregorius Hom. 7. in Evangelia: *Natus in praesepio reclinatur, ut fideles omnes, videlicet sancta animalia, carnis suae frumento reficeret.* Sanè B. Virgo infantem suum tanquam caeleste pabulum, & salutis cibum, hominibus, uti minoribus fratribus, coepit ministrare, & alimenta praestare uti Primogenitae Dei. Quò videtur spectare Regius Pfalter Psal. 2. 12. *Apprehendite disciplinam.* Ex He-

brao multi vertunt: *osculamini filium Dei, & Virginis.* S. Hieron. & alii: *Osculamini (id est, comedite) filium, triticum, spicarum fasciculum, frumentum.* De infante Jesu recens nato, & à Matre inter praesepii paleas reclinato, & in alimenta hominibus subministrato, verba commodè capias.

770 Deiparae verba sunt, juxta multorum mentem, illa Prov. 9. 5. *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miseri vobis.* Suum panem, & vinum appellat alium Eucharisticae mysterium, quia ei datum ut opulentissima hereditas, qua minores fratres aleret, & nutrirer: idcirco ad haec alimenta percipienda eos invitat. Hinc fidei mensa intellectualis, quae panem vitae mundo suppeditavit, rectè appellatur à S. Epiphano Ser. de laud. Beatae Virg. immò, *clibanus intellectualis, qui ignem & panem vitae calidum mundo in esum attulit, de quo Salvator mundi: accipite, & comedite.* Et S. Gregor. Nicomed. Archiepiscopus Orat. de Praesen. Virginis Templi alloquens: *Accipe mensam, quae portat vitam, in qua vita nostra panis propositus ambrosia pavit eos, qui illius fuerunt participes.* Similia habent alii ex Patribus; ex quibus constat, alimenta hominibus suppeditata à Virgine esse Eucharisticae Sacramentum, verè hereditarium munus testamenti novi, quo in hac vita alimur, & nutrimur; ut loquitur S. Gaudentius.

771 Inter alias Mulieris illius fortis, industriae & praedivitis B. Virginem praesignans, laudes & elogias, illud expende: *De nocte surrexit, deduxitque praedam domesticis suis, & cibaria ancillis suis.* Prov. 31. 15. LXX. Interpretes pro praedam vertunt, *escas, cibos.* Porro Deipara tanquam Primogenita, & haeres, rei domesticae Procuratrix est, & totam Ecclesiae curam & administrationem suscepit: atque ad eò minores fratres, domesticos, servos, & ancillas alendos, ac nutriendos Eucharisticae cibis, & alimentis. Ancillas vocat minores natu, quia, ut initio hujus capituli statuiimus, filiis ultimò genitis in primogeniti domo officia ancillaria demandantur: quod non dedecori, sed magnae gloriae minoribus fratribus esse debet: ut enim S. Anselmus lib. de excell. Virg. cap. 9. *Servire huic Reginae regnare est, & inter illius mancipia numerari, plusquam Regium.*

§. XII.

Ex singulari Primogenitae Mariae pulchritudine, ejus immunitas ab originali vitio comprobatur.

772 PRIMOGENITA solere esse pulchriora, & robustiora; & Primogenitum praesumendum illum esse in re dubia, qui formosior est, initio hujus capituli dicebamus. Certè vel ex singulari Deiparae pulchritudine, praesumenda ipsa, imò credenda nobis est Primogenita Dei, atque adeò gratiae ipsius Primogenita in sanctitate concepit, à primævo delicto omninò immunis. Etenim de Mariana pulchritudine corporis & animae, multa multum omnigeno eruditionis apparatu scripsere Mariani Panegyristae; ideò non est animus actum agere, sed novo forsam studio eam signatim expendere pulchritudinem, tum animi, tum corporis, quae & Primogenitam Dei, & originalis sceleris omnino expertem Mariam probet, ac deprædicet.

Protoplasti
absolutissi-
ma pulchri-
tudine per-
fecti.

Philo.

Divino
exemplari
similes fuerit
pulcherrimo.

Exponitur
verbi divi-
ni, & ratio-
nalis anima
similitudo in
pulchritudi-
ne.

773 Ergo ut dilucidè agamus, præmitte-
re operæ pretium erit, primum hominem (hac
voce primam etiam intelligo mulierem, cum
Moysè Gene. 1. 27.) absolutissima pulchritu-
dine perfectum fuisse conditum, cum & Deum
ipsum opificem habuerit, & ipse divini exem-
plaris perfecta fuerit imago, & imitatio. *Ille
autem primus homo terrigena* (inquit Philo in
lib. de Mundi Opificio) princeps totius nos-
tri generis utraq; parte præstantissimus, &
anima & corpore factus mihi videtur, longèque
posteriores suos antecellere utraq; parte præstan-
tissimam: hic ipse enim erat re vera pulcher, atque
bonus. Pulchritudinem corporis ex tribus il-
lam capitibus colligit Philo; ex pura materia,
lectissima nempe terræ portione; ex artificio-
so figmenti opificio; & ex summa Opificis
præstantia. Animæ verò pulchritudinem satis
sibi commendasse visus est idem Philo, quia
divino exemplari, id est, verbo Dei pulcher-
rimo similem dixit: *Quod autem in anima quo-
que par inerat præstantia, manifestum est; nul-
lo enim creato exemplari in ea faciendâ usus
videtur, sed solo ipsius verbo. Sequitur autem
necessario, omnibus modis pulchri exemplaris
pulcherrimam esse imaginem.* Hanc Philonis
sententiam de pulchritudine animæ à divino
verbo, tanquam ab exemplari ducta gravissi-
morum Patrum, & Theologorum suffragia
confirmant. S. Jacobi Apostoli apud Clemen-
tem lib. 8. Constit. cap. 12. Patrum Concilii Smit-
nensis in Exemplo fidei contra Fotinum,
apud Hilarium in lib. de Synodis. Ad stipulan-
tur idem Hilarius lib. 5. de Trinit. S. Basilii
Hom. 10. in Genesim, Nysseni lib. de Hom.
Opificio cap. 16. Ambrosii lib. 6. Hexaeme-
ron cap. 7. & l. de fide cap. 7. Idacii lib. 3.
contra Barimundum, Paulinus Aquileiensis
in Sacrosyllab. contra Elipandum, Cerealis
lib. contra Maximum cap. 10. Cyrillus lib. 1.
contra Julianum, Bernardus in Meditationi-
bus ad humanæ vitæ cognitionem, & alii
multi. Qui omnes asserunt, hominem ad ima-
ginem Dei simillimam conditum dici, quia di-
vino Verbo similis creatus est qui exactissima,
arque pulcherrima est Dei Patris imago. Ne-
que verò alias interim similitudinis rationes,
quibus Homo divinitatem refert, prædicti
Doctores inficiati sunt, neque juvat illas in
transcursu recolere.

774 Juvabit autem hanc unam verbi divi-
ni, ac rationalis animæ similitudinem breviter
in hunc modum exponere. Hominem univer-
salis Philosophia rationale animal sapienter de-
finit; eò quòd rationalis animæ essentia in
principio intelligendi, & ratiocinandi primò
consistat; cui principio reliquæ deinde ratio-
nales perfectiones naturali quodam ordine ad-
nexæ sint. Hanc igitur similitudinis rationem
inter animam, & Verbum divinum confide-
rasse autumo viros sapientissimos, qui dixe-
runt, eam divino Verbo similem fuisse crea-
tam, quia scilicet Verbum ex vi suæ genera-
tionis intelligens est, & rationale, utpote quòd
semperternâ illâ origine naturam haurit divi-
nam, quæ præcisè spectata summum princi-
pium est intellectus, atque aliarum perfec-
tionum, quæ intellectuali substantiæ propriè
conveniunt, uti exactior tert Theologorum
sententia. Sicut ergo summa divini Verbi pul-
chritudo in eo versatur, quòd persona sit per-
fectissimè intellectualis, pulcherrimam Patris
intellectualem naturam, utpote exactissima ejus

imago, absolutissimè referens; ita humanæ
animæ eximia pulchritudo in eo posita est,
quòd divini Verbi similitudinem, pro crea-
turæ captu, ratiocinando exprimat ad vivum.
Accedit, quòd totus homo pulchrior adhuc
evaderet imago divini Verbi, naturali pulchri-
tudini supernaturalis etiam decor, gratia nem-
pe, cæteraque divinarum virtutum cælestia
munera, quibus ea ipsa hominis pulchritudo
naturalis impensius, atque exornatius excole-
retur. Vide Bellarminum lib. de Gratia pri-
mi hominis cap. 2. & 3.

775 Univerfa corporea, & spiritalis, nat-
uralis, & supernaturalis, primi Hominis,
primæque Mulieris pulchritudo, originariæ
obedientiæ creatori debita, eâ lege devinc-
ta fuit, ut à divino obsequio omnino pende-
ret. Si injunctum violaret Homo præceptum,
& sibi, & posteris retinendi decoris jura pro-
fus amittisset; si tamen servaret, & sibi, &
suis perpetuum conservasset. Violavit per-
duellis divinam legem, evanuit proinus tota
illa gratiarum supernaturalis pulchritudo; na-
turalis verò turpiter jam inde cæpta est obli-
terari. De supernaturali, præter alios, sic
scribit S. Prosper lib. contra Collatorem cap.
19. *Natura humana, in illa universalis præ-
varicationis ruina, nec substantia erepta est, nec
voluntas, sed lumen, decusque virtutum.* Natu-
ralem autem decorem ab ea inobediencia
cceptum fuisse defædari, paucis exponam. Ut
primùm rationale animal, præter rationis ju-
ra, contra divinæ legis præscriptum refracta-
rius conspiravit, universæ statim & rationa-
les, & appetentes animæ facultates, earum-
que virtutes administræ, humanæ rationis im-
perium detrectarunt. Merito nimirum suppli-
cio factum est, ut totus inferior homo ab e-
jusdem rationis imperio deficeret, quæ con-
tra divinum imperium conspiraverat, uti docet
S. August. lib. & cap. 3. de Civit. Dei,
quem sequitur S. Thom. 1. parte quæst. 95.
art. 1. & lib. 4. contra Gentiles, c. 52.

776 Nobiliori hac parte humanæ pulchri-
tudinis naturalis turpiter obturbatâ, hoc est
ordinatissimâ illâ rationis humanæ, inferiorum-
que facultatum, ac virium constitutione dis-
solutâ, reliquum mox humanum corpus oc-
cepit primaria illa purissimorum humorum
temperie, absque exacta admixtarum qualita-
rum mensura destitui, auctrices deinde, for-
matricesque facultates in deteriorem statum
perverti; exinde immania turpissima monstra
in humanam naturam agminatim irumpere.
Inde tam dissimilis proles, tam degeneri spe-
cie deformis oboriri cæpta. Inde frontones,
rudiani, capitones, cæci, lufci, præti-
strabones; inde filii, sumi, nasones, Chilones,
Labeones, malici, & bronci; inde gibberi, ac
regibberi, scævi, ploti, planci, valgi, scauri,
vari, compernes, falcones; inde denique sex-
centæ aliæ humanæ naturæ injuriæ; à quibus
antiquæ etiam familiæ, nobiles, famosa tul-
re cognomina, quæ refert Alexander lib. 1.
Genialium cap. 9. Prætereo Plinium lib. 7.
cap. 2. tam fœda diversarum Gentium pro-
digia referentem, ut vel legisse pudeat.

777 Mala hæc omnia ab originali inobe-
dientia primam suam originem repetunt; ori-
ginariæ culpæ poenæ sunt meritissimæ; ut sta-
tuunt sacra Concilia, Arauxicanum 2. Can.
1. & Tridentinum Sess. 5. in decreto de pec-
cato originali. S. August. lib. 6. in Julianum cap. 4.
S. Ibo-

Per pecca-
tum evanuit
tota illa su-
pernaturalis
gratiarum
pulchritudo.

S. Prosper.

Naturalis
etiam decor
ab illo pec-
cato defæ-
dari capit.

Exinde tur-
pissima mon-
stra in hu-
manam na-
turam ir-
rumpunt.

Mala illa
omnia ori-
ginariæ cul-
pæ poenæ
sunt.

intelligere,
cognoscere.

Mariæ obe-
dientia lau-
datur oppo-
sita Adami
in obedien-
tia.

Oblitam ex-
hibet Deipa-
ram paternam
domum Adami-
cæ.

Inde eximia
ejus pulchri-
tudo.

S. Thomas in quæstionibus disputatis de Ma-
lo quæst. 1. a. 4. ex Augustino 13. de Tri-
nit. cap. 16. & 1. 2. q. 85. a. 5. & q. 87. a. 7. Vide
Bellarminum lib. 6. de statu peccati à cap. 8. ad
15. Nobis hæc cursim præstrinxisse visum est,
ut tum primævæ humanæ naturæ pulchritudi-
nis cum primigenio illò obedientiæ statu ne-
cessitudinem; tum hujusce hodiernæ deformi-
tatis cum originali illa inobediencia connexio-
nem assereremus. Quibus positis ad Mariæ
Virginis pulchritudinem commendandam ac-
cedamus, quæ minimè consistere poterit cum
originali fœditate ex inobediencia.

Deipara
pulchritudo
originaria
originali op-
posita facti-
tati.
Pl. 44. 11.

778 Atque in primis illa occurrunt Regii
Vatis verba ex Pl. 44. 11. *Audi filia, & vide,
& inclina aurem tuam; & obliviscere populum
tuum, & domum Patris tui. Et concupiscet Rex
decorum tuum: quoniam ipse est Dominus Deus
tuus, & adorabunt eum.* Ad stantem Reginam
Primogenitam ad Regis dexteram Vates sta-
tuerat, idque ab ipso creationis, & Concep-
tionis momento, ut supra probavimus; mo-
dò gratulando prædicat promptissimam Re-
ginæ obedientiam, qua Paternâ, ac Gentili-
tati inobediencia prorsus abdicatâ, Sponsi
legibus semper est obsecuta. Hujus porrò exi-
miæ obedientiæ dignum hoc vaticinatur præ-
mium; futurum scilicet ut & sponsus Rex,
pulcherrimâ sponse formâ captus, ipsam cu-
pidissimè depereat, & universus orbis, tanto
obedientiæ exemplo permotus, debitam divi-
no imperio faciat dedicationem. Itaque Primo-
genitæ Reginæ decor à Conceptione repe-
tus dicitur, imò ejusdem originariæ obedi-
entiæ congenitus. Juxta hoc argumentum, cui
applaudunt Patres infra referendi, verba Da-
vidica sic premo:

Singula
Psalmi ver-
ba premun-
tur.

Chrysip.

Pl. 44. 5.

779 *Audi filia, & vide, &c.* Sancti Greg.
Neocæsar. Episc. Ser. 1. de Annuntiatione,
Athanasius Alexan. in Epist. de Interpret.
Psalmorum, & in Ser. de Deipara, Chrysi-
pus Hierosol. in Ser. de laud. Deiparæ, Theo-
phanes in Achrotichi de Annuntiatione S.
Deiparæ, Leo Imperator cognomine Philo-
sophus in Orat. de eadem, Bernardus Hom.
3. super Missus est, & Ser. 2. de Nativ. Domi-
ni, & alii hunc versum sic de B. Virgine ex-
ponunt, quasi David Rex Mariæ suavissimæ
nepiti tantam felicitatem Prophetice applau-
dat. *Pater congratulatur tantæ puellæ beatitu-
dini,* ait Chrysiptus. Nimirum non paterna
exhortatio, non senilis est admonitio, quâ in-
digeret Dei Mater; gratulatoria est apostro-
phe, qua Rex Regiam nepitum Deo obsequen-
tissimam compellat, & ejus pulchritudinem
commendat originariam. Similia schemata in
eodem Vate non semel observes Pl. 20. 14. Pl.
56. v. 6. & 9. Illustre est illud in hoc eodè Pl.
v. 5. *Specie tua, & pulchritudine tua intende,
prosperè procede, & regna.* Alia observant Ori-
genes Hom. 1. in Cætica, & S. Hieron. in cap.
1. Threnorum. Simili ergo gratulatoriâ præ-
dictione Reginæ felicitatem ex originaria obe-
dientia, cui congenita sit eximia pulchritudo,
proventuram vaticinatur Pfaltes. Quasi dicat:
Macte filia, tam expedita hac obedientiæ vir-
tute: sic Sponso pulchrior; sic Regi gratior,
sic imperio universo augustior futura. *Audi,
vide, inclina aurem tuam,* Soluto Hebrais-
mo; *Audies, videbis, inclinabis aurem.* Pe-
riphrasis est absolutissima obedientiæ.

Audire pro
obedire, in-

780 *Audi filia,* Hebraicè ponitur verbum
samagh, quod vulgatus aliàs vertit obedire.

Deut. 11. 13. Jere. 35. 13. *Audi ergo filia,* id
est, *obedi, obtempera;* tuo te Sponso Regi ob-
sequentissimam præsta. Et vide, id est, *intel-
lige, cognosce.* Sic ex Hebræo & ex Pfalterio
Arabico veritas. Igitur David eodem usus ver-
bo, Reginæ prædicat Obedientiam, cognitio-
ne, consideratione, & judicio plenam, atque
perfectam; qua divinum præceptum æquissi-
mum, atque rationi convenientissimū censuit.
Et quidem perfecti obedientis ea dos, ut etiâ
judicium præcepto subdat. Inde auribus tri-
bui videas quæ sunt mentis propria. *Isaiæ 52.
13. Obedientiam intellexit, uti perfectissi-
mam, multis commendant Patres, qui perfe-
ctæ vitæ præcepta fuerunt. Mariæ obedi-
entia laudatur, quòd prius obedierit, quam præ-
ceptum consideraverit. Neque enim tanti ha-
betur obedientia, quæ obedientis judicium, &
approbationem sequitur, quam illa, quæ præ-
cedit multas obediendi periculationes. Illa
igitur Mariæ, hæc aliorum. Et inclina aurem
tuam.* Arabicum, & *præbe auditum tuum.* Tam
multiplex, tamque accurata verborum in ea-
dem sententia confematio intentam expri-
mit Regiam filiam tam animo, quam corpore
ad sponsi iussu diligentissimè capessenda.
Vide S. Bernardum Ser. de virtute obedi-
entiæ, & ejus gradibus, & Ser. 3. super Missus
est. Hæc porrò *inclinatio auris,* avidam præ-
cepti, atque obedientiæ percupidam indicat
auscultantis mentem; aurem enim curiosè ad-
movemus, cum rem percipere gratissimam ma-
ximè optamus.

781 *Et obliviscere populum tuum, & domum
Patris tui.* Patrem ejus, & Populum, Ada-
mum, genusque intelligit Adamiticum, uti
exponunt Chrysiptus, & Leo Imperator. Dum
igitur Propheeta, perfectam Mariæ obedi-
entiam commendans, ipsam addit oblituram pa-
ternam Adami domum, atque populissimam
ejus posteritatem, haud obscure originalem
inobedienciam perstringit huic Paternæ do-
mum, populoque familiarem, à qua unicam fi-
liam immunem canit, utpote domus Paternæ,
atque avitæ perduellionis immemorem, Deo
semper ministram adstantem, obedientem,
intelligentem, totamque ad parendum para-
tissimam. Alioquin nisi hoc hemistichium,
obliviscere populum tuum, & domum Patris tui,
primam originalem inobedienciam notat, à
Maria longè alienissimam; quorsum illud præ-
cedenti adnectitur; *Audi filia, & vide, &
inclina aurem tuam,* quòd tam expressum erat
Marianæ obedientiæ vaticinium? Sed expen-
do epithafim verbi *obliviscere,* quòd in Scri-
ptura significat animum ab omni prorsus obli-
tæ rei consortio, consuetudine, communione
remotissimum. Pl. 15. 14. *Nec memor ero no-
minum eorum.* Usque adeò illos animo aver-
sor, ut nec nominum memoriâ mentem infe-
ctâ velim. Sap. 19. 9. & cap. 16. 23. Igitur simili
orationis emphasi docet, Reginâ nostrâ ab ori-
ginali inobediencia longè abfuisse, dū eam Pa-
ternæ domus Adamicæ, suorūque popularium
oblitam exhibet, cum quibus tamen & genus,
& convictum communem esset habitura.

782 *Et concupiscet Rex decorum tuum.* Signatè
hunc Versu de Virginis pulchritudine exponit
Andreas Creten. Orat. 2. de ejus dormitione.
Etenim duplicè pollicetur prædictæ obedientiæ
originalis fructum, & eximiam filia decorè, &
singularè erga illam Regis amorem. Nam hic
versus 12. *Et concupiscet Rex decorum tuum,*
ita